

COLLEGGII MEDICI  
 DECANI ET SENIORIS  
 RVDOLPHI VVILHELMI  
 CRAVSII,  
 PHIL. ET MED. DOCT.  
 PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.

*Propempticum Inaugurale*

COMMENDANS STVDIVM INQVI-  
 RENDI FACVLTATES MEDICA-  
 MEMENTORVM, MODVMQVE  
 EORVM AGENDI.

I E N Æ,

Literis CHRISTOPHORI KREBSII.

Pharmacol.  
 gen.  
 156, 22.

*Mat. med. 46*





Vra lex est : *Omnibus moriendum!*

Nullam hæc ætatis rationem, nullam sexus, nullam personarum nec conditionis habet. Æque ferit principes ac subditos, æquè mares ac fæminas, Juvenes ac Senes. *Vnus omnes manet exitus*; Sed cuilibet termino, à

DEO præfixo, ad quem ut homo vivus & sanus conservetur, ipsi non solum alimenta largissimè monstrat; sed etiam, quando morbis affligitur, medicamenta ex terra pronasci jubet, & medico donum sanandi clementissimè largitur, quibus utrisque, ut debitè utatur, vult, sic rectè monente *Syracide*, illo rerum humanarum, divinarumque scientissimo, & voluntatis divinæ egregio interprete.

Admiranda sanè, nec satis deprædicanda est summi rerum omnium conditoris, DEI, inexhausta benignitas, quæ humanum genus, post lapsum primorum parentum, eorumque ex felicissimo illo, & pleno divinæ amœnitatis nemore, quod Paradisum nominamus, expulsionem, acerbissimis calamitatum tempestatibus, morbisque ac morti expositum, amplectitur, quod, quidquid *παντοπλάσης* ille optimus maximus condidit, id omne in gratiam & conservationem hominis, humanique generis fecit. Omnia propter hominem! ipsi omnia conducunt atque famulantur egregiè, si non semper immediatè, tamen mediatè; si non jugiter ad esum; tamen ad quotidiana-



tidianum usum, si non ad alimentum; tamen ad medica-  
mentum, si non semper modo cognito & patente; certo ta-  
men, licet incognito & latente, cum, quia finem particula-  
rem & specialem uniuscujusque speciei nunc, ob intellectum  
nostrum post lapsum ad manifesta etiam interdum instar no-  
ctuae caecutientem, ignoramus, eum exactè determinare neu-  
tiquam valeamus. Agnovisse hoc etiam jam olim *Gentiles*,  
Evangelicæ lucis radio nondum collustratos, vel ex solo *Ari-  
stotele Stagirita l. 2. phys. t. 24. p. m. 461.* constare potest, ubi  
omnia propter hominem comparata & condita esse, eumque  
omnium, quæ in toto mundo existunt, finem quodammodo  
statuit. *Χρῶμεθα, αἰτ, ὡς ἡμῶν ἕνεκα πάντων ὑπαρχόντων ἃ  
πῶς ἢ ἡμεῖς τέλει.*

Planum hic haberemus & amplum differendi de innu-  
meris rebus, quas mundus in suo ambitu complectitur, & in  
hominis usum cedunt, campum; sed, cum nec instituti nostri,  
nec temporis, quod brevissimum nobis concessum, ratio jam  
ferat prolixè de hâc materiâ differere, præcisè omnibus am-  
bagibus pauca saltim, quæ ad scopum nostrum pertinere vi-  
debuntur, attingemus levissimè.

Nimirum, qui *regnum*, medicis dictum *triplex, animale,*  
*vegetabile & minerale*, ex quo imperator medicus sua arma de-  
sumit, parat, copias vigorosas contra morborum phalanges  
conscribit, ac in apertum campum & aciem deducit, intuetur,  
animadvertit non sine stupore, illud tam varia & innumera ad  
vitæ & sanitatis conservationem, corporis à morbis defensio-  
nem & præservationem, denique ad morborum depulsionem  
utilia ac necessaria continere, ut nemo hominum reperiatur,  
qui non quotidie illorum utilitatem abundè experiatur, imò  
investigando adhuc majorem & copiosiore ulterius inveniat,  
):( 2 &

non



(o)

& fateri cogatur rem, ætatem, usumque semper aliquid ap-  
portare novi.

Sicuti autem omnia in *usum* hominis, inprimis verò ad  
ipsum *vita & sanitatis conservationem* condita sunt, ita rectè fa-  
ciunt, laudemque promerentur egregiam ingenii præstantiâ  
alios superantes, qui eò quotidie omnes suos intendunt ner-  
vos, ut facultates & vires rerum, quas *Galenus* *Φύσες* vocat,  
jam tum inventæ accuratius examinentur, nondum cognitæ,  
pluresque usus inquirantur, experimentis confirmentur, mo-  
dusque agendi magis magisque investigetur, explicetur, illu-  
stretur, sicque omnibus singula magis cognita reddantur; in-  
primis cum in naturæ libro plurima adhuc arcana & mysteria,  
respectu caligantis nostri intellectus deprehendantur.

Non laude sua quidem defraudandi sunt *veteres*, sed in  
virtutibus ipsorum meritò commemorandum, quod multa-  
rum rerum, quas triplex laudatum Medicorum regnum sug-  
gerit, virtutes adinvenerint, magnumque thesaurum medi-  
camentorum posteris suis reliquerint, cum res ista ardua satis  
fuerit, ac perdifficilis, plurimisque obnoxia periculis, pluri-  
maque experimenta per mortes initio facta fuisse extra omne  
dubium sit, si quidem, ut *Hippocrates* ait *lib. de locis in homi-  
ne*: *πάντα Φάρμακα ἢ τὰ μετακινέοντα τὸ πάθειον, omnia me-  
dicamenta sunt, quæ mutant præsentem statum*, atque hinc, non-  
dum satis cognitæ medicamentorum viribus, noxis, dosibus,  
correctione & modo exhibendi, intempestive adhibita faci-  
lè malum in pejus pervertere potuerunt. Ast, cum quoti-  
diana experientia testetur, eos rem omnem minimè exhau-  
sisse, sed multorum simplicium ex ingenti ista medicamento-  
rum farragine, vires nondum omnes & sufficienter exploratas,  
& experientiâ confirmatas restare, modumque eorum agendi  
non.



non omni ex parte explicatum esse, quæ solertioribus & acutioribus ingeniis examinanda relicta fuisse videntur; Proinde dignum sua persona faciunt, Medicinæ addicti, si, ubi non facilis patere videtur aliis ingeniis humanis ad naturæ sacrarii penetralia aditus, acumine sui ingenii, adminiculante laboriosa diligentia obscuritates in materia medica relictas discutunt; memores illius, quod aliquoties Galenus inculcat, in primis l. 1. de comp. Med. *Χρὴ γνώσκειν ἑκάστη τὴν δύναμιν, ἢ κτ' ὑπομύρον, ἀλλὰ διακριτικῶς τε, καὶ διηθερωμένως. Oportet cognoscere singulorum vires, non generaliter tantum, sed & strictè & articulatè, sive secundum singula membra, & intimè.* Laudem hinc promeretur haut exiguam Clarissimus artis Medicæ Candidatus,

## M. IOHANNES CRÜGERVS,

qui *purgantium* vires, agendique modum dilucidius expositurus, sibi loco *speciminis inauguralis* elegit PURGANTIVM MECHANICAM publicæ philiatrorum συζητήσας subjicere.

Heroicum hoc est medicamentum, quod, si humores in corpore humano adeò rebelles sunt, ut corrigi ob quantitatem suam alterantibus medicamentis non possint, sed Augiæ stabulum repurgandum, ac saburra vitiosa & morbifera excutienda, vires suas egregie exerit, ac inter heroica auxilia, si reliquis palmam non præripit, saltim dubiam reddit.

Verum enim vero cum Clarissimus noster Candidatus benè sciat, *non levis momenti rem esse purgantia exhibere*, plurimos tamen ex vulgo, circumforaneos, balneatores, vetulas, aliasque medicastras heroico hoc auxilio sæpissime abuti, ita, ut illud in istorum irrationalium empiricorum manibus sit gladius in manu furiosi, quo haut pauci in sanitatis & vitæ per-

riou-



(o)

riculum præcipitantur; Hinc raturum duxit *quomodo, quando*  
& quibus exhibenda sint, ac *quomodo vires* suas in corpore huma-  
no exerceant purgantia, dilucidius explicare. Faxit DEVS ut  
feliciter!

Curriculum ipsius vitæ & studiorum ut, more adulto,  
exponamus. Natus is est Sprembergæ, in Lusatia inferiori,  
Anno M DCLXXVIII d. XXIII Junii Pater ipsius est vir  
amplissimus IOHANNES GEORGIUS CRÜGERVS, Senator  
Reipubl. Sprembergensis primarius. Mater, nunc piæ me-  
moriam, URSULA, viri clarissimi, ELIÆ SETLERI, Recto-  
ris quondam de Lyceo Sprembergensi meritissimi filia, foemi-  
na matronalibus virtutibus ornatisissima. Hi parentes nec cu-  
ram, nec occasionem prætermiserunt, quo ipsum sub inspe-  
ctione præceptorum domesticorum in primâ statim ætate bo-  
nis moribus & litteris adfuefacerent.

Anno M DC XCII d. XXIV Junii missus in Scholam Cot-  
busiensem, ibi per quatuor ferè annos tam hospitio, quam  
dexterrimâ manu ductione publicâ, privatâ & privatisimâ u-  
sus est Præclarissimi M. MARTINI BVSSII, Rectoris ibidem  
celeberrimi, in Lingua Latinâ, Græca & Hebraicâ, it. Rhetorica  
& Logica, tanto quidem cum emolumento, ut sub ipsius  
moderamine varii argumenti *orationes* memoriter habuerit  
publicè; de *Gratitudine, de Centurione Capernaitico, Constantino*  
*Magno, Relatis, Calefactione, Falsâ pœnitentiæ definitione*  
*Scholasticorum, Inimicitia, Ira, Odontalgia, Ingrati animi vitio.*  
In Poësi usus est informatione viri Clarissimi MICHAELIS  
KÜCHLERI, t. t. Con-Rectoris meritissimi, hodie pastoris  
Ecclesiæ Madloviensis perquam reverendi. Positis sic primis  
fundamentis Anno M DC XCVI d. XXI. Maji in Gymna-  
sium Zittaviense missus, ibi præceptorum clarissimorum M.  
IOACHIMI CVRTII, tertii, inspecie verò M. ADAMI ERD-  
MAN-

MAN-



MANNI MIRI, Con-Rectoris publicâ & privatâ informatione in Linguis & philosophicis usus, uberiores se adquisivisse profectus grata mente agnoscit, quibus supplementum addidit vir de erudito orbe diu præclarè meritus, CHRISTIANVS WEISSIVS, Rector Gymnasii Zittaviensis celeberrimus, ex cujus fidelissima informatione in Logica, Ethica, Politica, Poesi & oratoria profectus necessarios sibi fœneravit egregios, ac tandem habitâ sub jam laudati viri præsidio disputatione de *Exponibilibus*, & aptatus studiis sublimioribus, jussu & suasu Parentis, Cognatorum & præceptorum Anno MDCXCIIIX. almam hanc Salanam accessit.

Hujus albo, Rectore t. t. Magnifico, IOH. HADRIANO SLEVOGTIO, hereditario in Ober-Kosla. Med. D. Anat. Chirurg. & Botanicis Prof. Publ. ac Medico Provinc. Saxonico celeberrimo d. VI. Octobr. inscriptus, sui muneris ratus est, ut philosophicis & medicis Scholis strenuè vacaret; quam ob causam in utrisque nobilissimos & excellentissimos sibi elegit Doctores & Professores: In philosophicis D. IOH. PAVLVM HEBENSTREITIVM, tunc philos. nunc S. S. Theol. Prof. publ. celeberrimum. In Hebræa, Chaldaea, Syriaca & Samaritanâ IOH. ANDREAM DANZIVM, L. L. oriental. Prof. Publ. hodie Academiae Rectorem Magnificum, in Mathematicis & Physicis GEORGIVM ALBERTVM HAMBERGERVM, Mathes. Prof. P. sub cujus præsidio disputavit publicè de *Barometris*, & postea ab ipso Brabevta, Anno MDCCCL. mense Septembr. *Laureâ Magisterii* publicè creatus fuit. In politicis sectatus est IOH. PHILIPPVM TREVNERNVM, S. S. Theol. D. & Philos. prim. P. P. In Medicis D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII, hereditarii in Schwarza/ Medici illustris & consummatissimi. Prof. Publ. Comit. Pal. Cæs. ac Consiliarii & Archiatri Ducalis, Saxonici famigeratissimi acroases tam publicas

cas



(0)

cas quàm privatas assiduè, & cum singulari attentione audivit, ipsiusque Collegiis Pathologicis, Therapevticis, casualibus, chemicis, & de materia medica perpetuus auditor interfuit, cujus sub Præsidio etiam *dissertationem* IX. Semiotico - Pathologicam de *tumoribus, ulceribus, febribus ac lue venereâ* publicè cum laude defendit Frequentavit quoque manuductionem egregiam jam supra laudati D. SLEVOGTII, in botanicis, anatomicis, chirurgicis, & collegio disputatorio privato, in quo repetitis vicibus opponentis & respondentis vices non sine laude gessit, ipsique Cadaver Masculinum & Fœmininum publicè dexterrimè secanti, & omnia accuratè demonstranti attentè adstitit, id quod grato animo deprædicat. Nec prætereundus est ERNESTVS HENRICVS WEDELIVS, phil. & Med. D. ac Prof. Publ. extraord. Medicus Ducalis Sax-Vinariensis, & Polia-ter Ienensis celeberrimus, in cujus tàm publicis, quam privatis Collegiis sedulitatem suam itidem optimè probavit, atque sub ejus præsidio disputationem de HYDROPE publicè habuit.

Hinc, ut colophonem tàm operosè celebratis studiis imponeret, adiit Facultatem nostram gratiosam, ab eaque exploratis in consuetis examinibus, & cognitis profectibus dignus habitus fuit, qui capeffat honores in arte medica summos, & in Cathedra disputationem supra laudatam loco speciminis solennis habeat.

Cum igitur d. April. volente DEO, sub præsidio WEDELIANO laudatam Dissertationem habiturus sit, huic panegyri ut Magnificus Rector, Proceres & Professores Excellentissimi, hospites, & almæ artis fautores gratiosâ & benevolâ suâ præsentia interesse velint, per officiosè & amicè rogo, atque contendo. P. P. Jenæ sub sigillo Facultatis, Anno M DCC II. d. II. April.

(L. S.)